ARA EXEQVIALIS,

BEATIS MANIBUS

SPECTABILIS ATQVE CONSULTISSIMI

DOMINI

CHRISTIANI LACHMANNI,

De Republica Thoruniensi Secretarii
bene meriti,

Die 13. Januarii An. Ep. Chr. M. DCCVI.
pie demortui,

Et die 17. p. m. in Templo Mariano
honorifice sepulti,

erecta
à

COLLEGIO PROFESSORIO
GYMN. THORUNIENSIS.

THORUNII,
Excudebat Johannes Conradus Rûgerus, Nobiliss. Senatûs & Gymnasii
Typographus.

LAus & fama fuit secreti magna laboris,
Qvem fidus fido credidit usqvè Viro.
Qvandoqvidem solus par haud est tollere damnum,
Si se participem non facit ipse mali.
Urbes si, vel regna premant mala fata, fatendum est,
Communi in damno viribus esse locum;
Hinc alios videas magno sudare labore,
Ut tollant damnum consiliisqvè levent.
Ast alii scribunt tabulis cõsulta Senatus,
Qveis à { Secretis / Cancellis } nomen & omen inest.
Horum non vilis, sed splendida gloria perstat,
Horum laus & honor non moritura virent.
Ex horum numero fuerat *Lachmannus*, acerbo
Funere qvi raptus dat mihi triste Vale!
Noverat hunc *Astræa*, è pleno vellere Phryxi
Texuerat sertum dextera clara Dices.
Lachmannus bis ter Musarum ipsissima Musa,
Et Charitis triplicis deliciosa Charis.
Prussica qvem tellus maturè plorat ademptum,
Qvem nostri Cives pectore & ore dolent.
Vistulides scopulis currunt, & Drusides: antris
Dorades è madidis Naïadesqvè ruunt.
Sed nihil efficiunt lacrymæ planctusqvè dolorqvè,
Cum qvæ defluxit lympha redire neqvit.

Fal-

Fallacis ridet jam *Secretarius* orbis
Technas, àc animo gaudia mille gerit.
Incertos hominum casus perpende, Viator,
Qvi lustras oculis hæc monumenta tuis.
Non genio indulge, aut resipiscere differ in horas,
Qvo minime speres tempore, nullus eris.
Stemmata, divitias, ætatem, mentis acumen,
Si sapis, hæc morti cuncta subesse putes.

Honoris & amoris gratia amica manus
B. Secretario sacrabat

M. MARTINI Böhm.

Lips. Centur. 2. Epistolarum Miscell. Epist. 99. *DEO parere, & velle, qvod ipse vult, summa non sapientia solum est, sed tranqvillitas & qvies.*

Nil sanctius prudentiusqve credimur
Egisse vel tulisse, qvàm si Numinis
Arbitrio sanctissimi regamur, &
Velimus illa, qvæ benignus vult DEUS.
Qvi sanctus atqve justus optimè omnia
Fácit; licet molestiora sæpius
Putentur illis esse, qveis Christi jugum
Grave, & malum non ferre posse maximum
Malum est. Ab incunabulis doctus fuit
Portare LACHMANNUS jugum Christi, & DEO
Parere: qvi vix Matre cognitâ, neqve
In orbe viso Patre magnam pertulit

Privignus & poſt orphanus molem mali.
Et qvanta ephebus, Virqve paſſus ſit mala,
Teſtes erunt vel hic Amici plurimi:
Qvi morbidum mortiqve jamjam proximum
Viſêre. Non contrarium tamen DEI
Seſe voluntati futurum dixerat,
Sciens, qvòd hæc tranqvillitas ſit optima
Qviesqve, velle, qvod DEUS vult optimus:
Jubente qvô nunqvam negavit ponere
Vitam, vel ire ad aſtra per tot aſpera.
Ut Chriſtianus eſſet omine, nomine.

L. p.

M. MARTINUS BERTLEFFIUS,
Prof. Publ. & Viſit.

